



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Episcopus vetus Ecclesia instituit in principalibus urbibus uniusque regionis. Rerum omnium confirmatio tributa Episcopo metropoleos, ita tamen ut eas compneret cum consilio coëpiscoporum suorum. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617



LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis.

I. Necessitas agendi de depositione Episcoporum, quod ea materia indiligenter admodum tractata sit, quamvis magni momenti esse videatur.

II. Episcopos veteri Ecclesie instituti in principibus urbibus uniuscujusque regionis. Rerum omnium confirmatio tributa Episcopo metropoleos, ita tamen ut eas componeret cum consilio coepiscoporum suorum. Itaque iudicia ecclesiastica uniuscujusque provincie, suprema auctoritatis erant, nec ab eis provocare licebat.

III. Illustre hujus instituti exemplum extat apud Cyprianum in causa quorundam Clericorum Africanorum. Causa illic audiri debet ubi crimen est admissum, quod illic commodius haberi possint & accusatores & testes.

IV. In causa Basilidis & Martialis Episcoporum Hispania consultus Cyprianus respondit obtinere debere sententiam Synodi provincie Bæticæ, quæ Episcopos illos deposuerat, & alios in eorum locum

substituerat, neque habendam rationem communionis illis à Stephano impensæ.

V. At in causa Marciani Episcopi Arelatensis, hæreseos jam damnata scilicetatoris, scribit Cyprianus eum sententiam accipere debere, non dicere, ac propterea deponendum. Egregia regula à Cypriano proposita, si quis hæresim facere & gregem Christi lacerare tentaverit.

VI. Magnifica sunt Cypriani verba ad Stephanum Papam scribentis. Reselluntur Novatores, qui ea in adversum trahunt. Notatur illustrissimus Cardinalis Perronius, qui ex hoc Cypriani loco colligit jus deponendi Episcopos pertinere ad solum Pontificem Romanum.

VII. Necessaria fuit illa loci Cypriani explicatio, ut & nostrorum & adversariorum sententia de hoc loco rectius ad veritatem redigi posset. Referuntur deinde Cypriani verba.

I. **I**NTER varias ac multiplices difficultates quæ in explicanda veteri Ecclesie disciplina occurrunt nulla indiligentiùs tractata est quàm ea quæ de Episcoporum depositione agit; cum tamen illa vel inter præcipuas referenda sit. Nam hinc Innocentij III. effatum, qui scribit materiam hanc jure divino sedi apostolicæ reservatam esse, obstat ne Canonici Iuris interpretes, iisque qui ætate nostra de fide controversiis tractant, ad contrarias se cogitationes convertant. Illinc verò laici non accedunt ad investigationem rerum in hac materia definitarum, quod illæ nullius sint usus in foro. Attamen multum refert altiùs scrutari quæ fuerit veteris Ecclesie praxis, ut noscamus quænam jurisdictio sit competens ad castiganda Episcoporum peccata, quæ ali-

quo modo impunita dimituntur ob confusionem hujus controversiæ.

II. Verum ut meliùs intelligere possimus ordinem jurisdictionis episcopalis, necesse est ut in antecessum statuamus Ecclesiam in initio se ad civilem Romani Imperij dispositionem accommodasse, Episcoposque propterea constituisse in principalibus urbibus uniuscujusque regionis, primum verò locum & rerum omnium confirmationem tribuisse Episcopo metropoleos provincie cum consilio collegarum suorum. Ordinationes itaque Episcoporum & iudicia ecclesiastica fiebant à synodo cujusque provincie cum auctoritate Metropolitanæ, adeo ut non liceret provocare à iudicio lato in synodo provincie.

III. Illustre hujus instituti exemplum extat apud Cyprianum, qui Episcopus Carthaginensis erat, & caput provincie Africa-